3v

bonis operibus dei. id est membris corporis a bar-
tifice deo apte compositis. vel abicientibus forin-
secus bonis creaturis dei. sic contra deus bene
utitur malis iniquorum operibus. Quod iuda
peius. sed malo ei bene usus est deus. Tradi se
pertulit. ut redimeret nos. Ita et satanas
quantos martyres persecutus est. si satanas
persequendo cessaret. hodie tam gloriosas
martyrum coronas non celebraremus. Si
ergo artifex bonus uti malo non nosset. nec
eum esse permitteret. Potest et sic intellegi quod
ait. xii. elegi. quia sacratus est numerus.
Non enim quia periit inde unus. ideo illius nu-
meri adeptus est. Nam in locum pereuntis.
alius subrogatus est. Mansit duodena-
rius numerus consecratus. quia per univer-
sum mundum hoc est per iiii cardines
mundi trinitatem fuerant enuntiaturi.
ideo quater terni. id est iiii vices iii. fiunt xii.
Hoc autem totum ex quo dominus de carne et san-
guine suo locutus est. usque in presentem locum
ad hoc nobis videtur. ut carnem et sanguinem
Christi non etiam tantum in sacramento. sed usque
ad spiritus participationem manducemus et bi-
bamus. ut in domini corpore tamquam mem-
bra maneamus. et eius vegetemur.

DOMINICA IN PALMIS
PASSIO DOMINI SECUNDUM MATHEUM

IN ILLO TEMPORE. DIXIT IHESUS DISCIPULIS;
SCITIS QUIA POST BIDUUM
pascha fiet. et filius hominis trade-
tur ut crucifigatur. et reliqua.
POST OMNES SCILICET SERMONES.
quos ab initio evangelii sui. usque ad tempus
passionis. in auditu discipulorum ac turbarum
faciendo et praedicando compleverat.
Et illo quoque die quo venit in bethaniam. atque
illud de unguento factum est. usque ad diem
quo ista omnia gesta atque dicta sunt. intel-
legimus etiam evangelistis non commemo-
rantibus consumptum fuisse quatriduum. ut
occurreret dies quem ante biduum pasche
matheus et marcus diffinierunt. Mystice
vero post duos dies clarissimi luminis vete-
ri sacro novi testamenti. verum pro mundo
pascha celebratur. Pascha vero quod hebra-
ice dicitur phase. a transitu nominatur. eo
quod exterminator videns sanguinem in fori-
bus israhelitarum pertransierit. Sive ideo
sollempnitatis huius diem mystice per legem
transitum esse vocatum. quod agnus dei in eo de
hoc mundo sive ipse transiturus. sive nos
salubri transitu quasi de aegyptia
et servitute ducturus. Et filius inquit
hominis tradetur ut crucifigatur. Eru-
bescant qui putant salvatorem mortem
timuisse passionis. Praesciunt. etiam non
declinavit insidias. nec terretur. nec fugit.
vitavit ut etiam ceteris ire nolentibus
pergat intrepidus. quando thomas dixit.
Eamus et nos moriamur cum eo. Tunc congre-
gati sunt principes sacerdotum. et reliqua. Congre-
gantur ineuntes consilium quomodo ihesum occi-
dant. non timentes seditionem ut sermo sim-
plex demonstrat. sed caventes ne auxi-
lio populi de suis manibus tolleretur.